Meierotto

de Viti Livi Patav. &c.

(1,50)

De Testimoniorum T. Livii Patavini fide

differit

I. H. L. Meierotto.

BEROLINI,
typis & sumptibus I. C. F. Rellstab, & in Commissis Nauckii.
MDCCXCVII.



Candorem, niſi me omnia fallunt, Livius eo nobis probaverat, quod in hiſtoria ſua, quantum civis Rom. id poſſet, verum dicere fuiſſet auſus; quod ne quam gratiæ ſuſpicionem, ne quam ſimultatis manifeſtaſſet. Jam videamus, num fidem illam hiſtoricam præſtare potuerit & voluerit, *ne quid falſi dicere videatur auſus.*

Quæ adjumenta in conſignanda hiſtoria habuerit, quomodo iis ſit uſus, & quid inde effectum videatur, hæ quæſtiones me jam occupatum tenebunt.

Primi adjumenti loco recte ponemus quæcunque ante eum de rebus Romanorum literis fuerant mandata. Bene multa volumina illi conquirenda evolvenda fuiſſe, jam ante rem exquiſitam ſuſpicabimur, quum omnia per ſæcula urbis conditæ civium interfuerit, rerum domi conſtitutarum & foris geſtarum memoriam ad poſteros transmitti; Quumque item plura per ſæcula jam multi cives & exteri in eo navaverint operam, ut ne quid memoratu digni non literis conſignaretur. Enumerandi igitur ſunt annales, librique priſci, enumerandi etiam varii au-

Annales veteres.

ctores,

ctores, qui ante Livium res Romanas ſcripſerunt. Neque vero hic memorabimus, quæ aliunde de his antiquioribus libris ſcimus, ſed ſolum illos ita deſcribemus, quales Livius nobis pingit: ita ut non qualemcunque illorum notitiam nobis undecunque hauſtam comparemus; verum Livii judicium de illis, quale fuit, explicare ſtudeamus. Modo enim Livii de illis judicium, tacitum quaſi ex ratione, qua illis utitur, diſpicimus; modo verbis claris redditum legimus.

Libri lintei.

Libros linteos, quos & *libros magiſtratuum* vocat, neque inſpexit ipſos, neque exemplum eorum manu alius cujusquam deſcriptum ante oculos habuit; periiſſe enim videntur, non quidem incendio urbis per Gallos, nam diu poſt, quin ad tempora belli Punici tertii deductam illic ſeriem magiſtratuum potuiſſe reperiri conſtat. *)

Licinius vero Macer quum illos in æde Monetæ repoſitos inveniſſet, **) vel ſolus, vel accuratius aliis illos auctores, præcipue in magiſtratibus ad ſuos quosque annos referendis, adhibuit. Quæ igitur a Livio ex linteis libris referuntur, non ex ipſis hauſta a Livio putes, verum ex Licinio. Neque an aliud quid, præter annos & nomina magiſtratuum, obtulerint Licinio, Livius indicat; neque ubi neglecti poſt Licinium iterum latuerint ex Livio patet. Auctoritas eorum vero in his ipſis annis & nominibus non ita gravis viſa fuit, quin ad aliorum ſcriptorum auctoritatem, ***) ad fœdera quæ exſtabant, revocare, eamque ex iis confirmare vel diſſolvere neceſſe habuerint & Licinius & Livius. †) Niſi dicere ſuſtineas, poſt Punicum tertium bellum auctorem illum vixiſſe & linteo pro alia materia perperam uſum eſſe, non eſt quod *unum* eorum auctorem perhibeas. A pluribus continuati, & quoniam initium iis redigendis antiquiſſimo ævo factum fuerat, ut antiquitate ſanctiores,

*) l. 39. c. 52.
**) l. 4. c. 7.
***) l. 4. c. 20.
†) l. 4. c. 13. l. 39. c. 52.

ſanctiores, ut loci ſanctitate etiam fide digniores viderentur, in ædem aliquam, quaſi quæ tabulæ priſcæ ſimul & publicæ repoſiti ſine dubio fuerunt.

Quos alios *annales* Livius laudat, id quod circa res antiquas ſæpiſſime facit, eos non *annales iſtos maximos* fuiſſe putes, quos conſcriptos & continuatos quotannis a Pontifice æquales Livii vel paullo majores vel exſtantes viderant, vel brevi ante exſtitiſſe perhibent. Eſt quod putes, ea quæ de mortibus Pontificum & ſacerdotum, utut quibusvis Conſulibus acciderunt, memorat, hinc tacite eſſe deſumta. Mirum vero ceterum videtur, Livium hanc quaſi ſanctiſſimam rerum Romanarum, præcipue domeſticarum memoriam non adhibuiſſe; ſed non mirum magis quam verum eſt, illos in libris nobis ſervatis ne ſemel quidem eſſe laudatos. Neque eſt, quod dicas, hos fuiſſe ſignificatos a noſtro, quoties nullo alio indicio adjectos annales laudat. Nam quis ferat auctorem, qui certo & ſuo nomine inſignitos & omnibus notos libros citet, & communi quodam & ad multos pertinente titulo complexus ſcribat: in *priſcis annalibus* invenio, *) in *quibusdam annalibus* invenio? **) Neque unquam horum, quicunque fuerint, a quocunque conſignati, annalium auctoritatem præfert iis teſtimoniis, quæ a certis quibusdam, quæ ab ullo auctore profecta eſſent. ***) Auctores porro notos nonnunquam aperte fide digniores annalibus ſic dictis perhibet. †) Annales tandem poſt ſæculum ab urbe condita ſextum citare deſiit, nam, poſt Punicum ſecundum bellum, nulla eorum in libris nobis relictis fit mentio. Ut rem, qualem ego mihi fingo, hic exponam: Annales noſtro non niſi libri, qui hoc nomine inſcripti exſtabant, audiunt; neque prorſus diverſi ſunt ab auctoribus notis, quorum modo nomina reddit, & quos item nullo alio nomine addito auctores vocat. Non noſtro vero more, qui per certiora veſtigia Annales.

 lectorem

---

*) l. 4. c. 7.
**) l. 3. c. 8. l. 7. c. 18. l. 8. c. 30. l. 10. c. 17. l. 23. c. 6.
***) l. 8. c. 30. l. 10. c. 17. 18.
†) l. 23. c. 6.

lectorem ducere amamus, neque in libri principio neque ullibi quos annales dicere, quos auctorum nomine designare velit, profitetur. Verum si accurate scribit, annales tum vocat, & ab auctoribus distinguit, quum non nisi annum & ductum rei in genere indicaverat scriptor: auctores vero, fuerint annalium, vel narrationis cujusdam separatæ auctores, tum eosdem vel alios vocat, si gentis cujusdam Romanæ specialem memoriam, vel viri alicujus laudem erant professi;*) si præterea non sat rationis videt, cur relationem relationi præferat. **) Quas quum diversas invenit, ipse in suspenso relinquit rem;***) in quo non dissentiunt, id pro certo habet; sunt inter illos quos fide digniores putat, neque vero eorum nomina edere tanti habet.****) Nullum æqualem rebus memorandis exstare, in memorando bellum Samniticum primum queritur;†) iterum Antiatum defectionem memorans *certum affirmare* non audet, *quia nulla apud vetustiores scriptores ejus rei mentio* est.

Sunt tamen inter hos auctores, quos neque hic nomine quo addito modo *vetustiores* nominat ††) modo *antiquos*, †††) modo *antiquissimos*, quorum quum de qua re gesta auctoritatem refert, quum plures propioresque ætate eadem tradere perhibet, modo in tuto quasi sibi stare, modo eo ipso, quod nimis antiqui sint, in dubio sibi relinqui videtur. ††††) Neque vero hos ab iis, qui supra memorati sunt, diversos putes; sed tum tantum eorum nomina refert, quum quis fide insignitior & talis erat, cujus nomen laudatum testimonio pondus additurum videretur. a)

---

*) l. 8. c. 40.
**) l. 4. c. 26. l. 8. c. 30. l. 8. c. 40. l. 9. c. 37. l. 10. c. 17. l. 10. c. 5. l. 10. c. 26. l. 26. c. 6.
***) l. 4. c. 55.
****) l. 8. c. 26.
†) l. 8. c. 40. l. 3. c. 23.
††) l. 3. c. 23.
†††) l. 7. c. 42.
††††) l. 8. c. 26. l. 2. c. 21. l. 25. c. 11.
a) l. 23. c. 6. *Cæliusque & alii* id haud sine causa prætermiserant scriptores.

Q. Tubero libros linteos inspexit, & sæpe laudavit; *) quum vero discrepantiam eorum a scriptoribus antiquis observarit, non semper illuc inclinavit, quo isti magistratuum libri vocarent, & in ipso eorum haud dubio assensu ipse tamen incertus veri mansit. Q. Tubero.

Licinius Macer, nisi quando familiæ suæ laudem adstruere, **) & ideo Liciniis ea tribuere voluerat, quæ alii perpetraverant, satis gravis Livio auctor est visus. ***) Ideo vero gravissimus, quod non tantum fœderum quoque tempore ictorum exempla consuluerat, ****) sed & *magistratuum libros*, in æde Monetæ repositos, *linteosque* appellatos ipse inspexerat. ****) Licinius Macer.

Hos non tantum sæpe laudaverat, sed & in varietate aliorum testimoniorum illos haud dubie sequi constituerat. †) Neque ideo crediderim, Licinium Macrum, non nisi quater, a Livio auctorem fuisse adhibitum. Verum ubi linteorum librorum memoriam injicit, ibi, etiamsi nullum ejus nomen, qui eos inspexerit, addidisse reperitur, tamen vel Licinium Macrum, vel Q. Tuberonem ante oculos habuisse perhibuerim. Videtur vero Licinii Macri narratio, intra prima quatuor sæcula urbis conditæ substitisse.

Nescio an *Fabium Pictorem* ideo sit sequutus Livius, quia auctoritas illius, qui & Prætor, & Flamen Quirinalis fuerat, gravior est visa. ††) Fabius Pictor.

Certe tum sæpius data opera eum maxime respexit, ubicunque sine varietate testium & auctorum naturalem ductum rei gestæ ex antiquitate eo remotiori repetitum exponit, quod neminem nominat. Habet enim eum in *antiquissimis* †††) scriptoribus,

---

*) l. 4. c. 23.
**) l. 7. c. 9.
***) l. 4. c. 7.
****) l. 4. c. 20.
†) l. 4. c. 23.
††) l. 37. c. 47. c. 50. c. 52.
†††) l. 1. c. 44. l. 2. c. 33.

ribus, quem præ aliis ſequi amet. *Credit ei* potius, quam Piſoni antiquitate ceterum proximo; *) nam præterquam quod *antiquior* eſt, probabiliora etiam ſunt, quæ refert. Et ſi quando in rebus geſtis referendis alibi reperta *ex vano hauſta, quo nimis inclinant ferme ſcribentium animi*, vitare vult, tum *Fabium*, dum æqualem eum teſtem citare poteſt, *potiſſimum auctorem habet.* **) Inde a primordiis Romæ usque ad medium bellum Punicum ſecundum illum teſtem vel auctorem habuit, raro vero nominavit.

Piſo. *Piſo* antiquus auctor, quippe quo Fabius Pictor omnium antiquiſſimus modo antiquior fuerit, ***) inde ab originibus ipſis ingreſſus res Romanas, ad belli Punici ſecundi finem certe videtur deduxiſſe. ****)

In rebus bellicis auctorem eum Livius ſemel nomine addito appellavit, ubi prodigiis quidem ut alii ejusdem ævi, etiam quum natura vel probabilitas omnis contradiceret, indulſiſſe eum indicat, ceterum circa gloriam bellicam Romanorum augendam longe aliis auctoribus modeſtior apparet, quippe qui unus numerum cæſorum hoſtium ad verum deduxerit. †) In rebus urbanis contra magnificentiam & divitias Romæ priscæ præter veriſimilitudinem, & contra aliorum teſtimonia extuliſſe videtur. ††) In conſtituendis magiſtratibus, & quosque ſuis annis aſſignandis ita negligens fuit, ut Livius neſciat, *memoriane* eum fugerit in annalibus digerendis, *an conſulto* binos conſules, falſos ratus, tranſcenderit. †††)

L. Cœlius. *L. Cœlium* quoque non niſi ut auctorem rerum, per bellum Punicum ſecundum & brevi poſt, geſtarum laudat Livius. In rebus per primos ejus belli annos geſtis eum non ſemel refutat; ††††) quippe qui in rebus forſan a virili ætate remotioribus, non ſatis fidus,

---

*) l. 1. c. 45.
**) l. 22. c. 7.
***) l. 1. c. 45.
****) l. 25. c. 39.
†) l. 25. c. 39.
††) l. 1. c. 45.
†††) l. 2. c. 58. l. 9. c. 44. cf. & l. 2. c. 32.
††††) l. 21. c. 38. l. 21. c. 46.

ſidus, neque in regionum ſitu naturave fluminum conſiderandis ſatis accuratus fuerit. *) In rebus quoque ex natura hominum & temporum conjiciendis & conſtituendis non ſatis ſagax & acutus, **) idem vero etiam extraordinaria, rara captans ad exitus mirandos non tantum, ſed & horrendos referendos propenſior viſus. ***) In rebus contra, quæ Cœlio jam viro facto acciderunt, illum potius ſequitur, & tum eum varios ductus & ordines rerum geſtarum, quales fama ſervaverat, inter ſe comparaſſe, veſtigia rerum geſtarum & per regiones & locos ſparſa accuratius aliis inveſtigaſſe perhibet. ****)

L. Cincius Alimentus, miles primis belli Punici ſecundi annis interfuit, captus ab Hannibale, †) caſtra & agmen ejus, quum in Italiam deſcenderet, vidit; inque aliquo apud Hannibalem honore fuiſſe, anteque pugnam Cannenſem, poſt quam nulla redemtio captivorum locum habuit, liberatus eſſe videtur, & Romæ honores adeptus. ††) L. Cincius Alimentus.

Num præter Punicum bellum aliam rerum Romanarum partem attigerit, ex Livio ſaltem non clarum ſit. Teſtis ceterum fide digniſſimus videtur fuiſſe habitus, ſicuti in reddendis numeris medium & moderatum ſe oſtendit; ipſumque Livium maxime præ aliis omnibus ut ſibi aſſentiret moturus fuiſſe videtur, niſi accuratam nonnunquam diligentiam deſiderari eſſet paſſus. †††)

Valerius Antias, quanquam ut auctor rerum geſtarum non ante annum u. c. 290. ††††) a Livio memoretur, tamen inde ab initio res Romanas ingreſſus eſt, teſte Livio certe hiſtoriam Valerius Antias.

 ad

*) l. 21. c. 47.
**) l. 22. c. 31. 32. l. 28. c. 46.
***) l. 29. c. 27. c. 35. præcipue c. 25.
****) l. 26. c. 11. l. 23. c. 6. l. 27. c. 27.
†) l. 21. c. 38.
††) l. 27. c. 29.
†††) l. 22. c. 38.
††††) l. 3. c. 5.

ad annum 583, adque bellum cum Perſeo Macedone fere deduxit. *)

Vel in rebus vetuſtiſſimis, & ipſa antiquitate obliteratis audet Antias non tantum pro certo res incertas affirmare; **) ſed ſubtiliter etiam exſequitur fingendo numerum, quem nullibi reperire potuerat. Opiniones pervulgatas, quam parum excuſſas habuerit, quam palam falſas quisque alius duxerit, quin rumores vanos, & a nemine memoratos, cæca vel accommodata *mendacio probabili fide* ſequitur. Taliaque ſine discrimine rebus geſtis innectit. ***) Plura, quam quæ alii repererant, vidiſſe, acutior in exquirendo fuiſſe ipſe videri velit. ****)

In numero cæſorum hoſtium, in capta præda, in momentis rerum ſupra veritatem & naturam augendis ita immodicus eſt, ut graviſſimam Livii reprehenſionem incurrat: „*In numero ſcriptori parum fidei ſit; (quia in augendo eo non alius intemperantior eſt.)* *****) Uti ſemel Acilianis, quippe Græcis, annalibus in referendo numero caſtior fuerat repertus; †) ſic alias Piſonem, Fabium, Catonem, Polybium, ††) omnesque alios Romanarum rerum auctores ita augendo numeros poſt ſe relinquit, ut generi humano illius ficta ſanguinolentia innumeris myriadibus conſtare potuiſſe videatur.

Captorum a Romanis hoſtium dignitatem & gravitatem, idem & civium apud hoſtes captorum; immo civium ob ſcelera dannatorum numerum augere amat. †††) Si prædæ, ſi ſignorum & armorum & tormentorum hoſti ereptorum numerus eſt re-

*) l. 39. c. 56. l. 41. c. 32.

**) l. 3. c. 5.

***) l. 37. c. 48.

****) Libros Numæ, a nemine mortalium forſan viſos, Pythagoricos fuiſſe contra probabilitatem & nulla ævi iſtius habita ratione perhibet.

*****) l. 36. c. 38.

†) l. 25. c. 39.

††) l. 34. c. 15. l. 26. c. 49. l. 33. c. 36. l. 34. c. 10. l. 46. c. 19.

†††) l. 26. c. 49. l. 29. c. 35. l. 33. c. 36. l. 37. c. 60. l. 39. c. 41.

referendus; si vectigalium hosti victo impositorum ratio reddenda est; *) si dona a Romanis data magnificentiora fingi possunt **) ipse *in omnium rerum numerum augendo* adeo immodicus est, ut & optimum quemque Romanum, certe Livium piguerit.

Qui in una urbe, eaque non maxima, tormentorum majorum unius generis tredecim millia a Romanis capta memorare potuit; nonne quisque lector, vel Livio tacente, ex suo sensu epiphonematis loco huic narratori adclamaverit, *rem impudenter sane fictam! adeo nullus mentiendi modus est.* ***)

Numeris quam maximis susque deque usum esse, id illi res admiratione dignas sermone forsan grandiori extulisse visum fuit: talibusque vel nulla alia arte accedente lectorum animos retentum iri putavit. Argenti quadringenta octoginta pondo interverti a privato potuisse, id illi adeo non multum videtur, ut sex millia pondo auri ob pacem commodiorem a rege quodam eidem civi datum affingat. Quod Livius tamen mendo librarii, quam mendacio auctoris assignare mavult. ****) Malevolentior tamen omnino, atque in viros ceterum probatos invidiosior fuisse videtur. *****)

Negligens praeterea erat, ut qui neque librorum magistratuum inspiciendorum, nec annorum seriei ineundae rationem habuerit; †) neque vero testimonia illa, quae in orationibus in ipso temporis momento habitis adhuc exstabant, inspexisse tanti esse duxit. ††)

Neminem tamen scriptorum Romanorum fere saepius laudavit Livius. Neque id solum refellendi, & factorum contra ejus auctoritatem restituendorum causa id fecit. Sed saepe etiam, si om-

*) l. 28. c. 46. l. 33. c. 29.
**) ibid. & l. 33. c. 10.
***) l. 30. c. 19. l. 26. c. 49. l. 38. c. 23.
****) l. 38. c. 56.
*****) l. 44. c. 13.
†) l. 39. c. 52. l. 39. c. 56.
††) l. 39. c. 42.

omnis alia auctoritas de facto quodam deerat, *) in hoc tamen, forſan in rebus ſummatim recenſendis accuratiore auctore, quid ſequeretur habuiſſe videtur Livius.

Clodius Licinius.

Claudius in rebus antiquioribus referendis plurium aliorum auctorum, quibus Livius potius fidem haber, teſtimoniis refutatur. **)

In rebus per bellum Punicum ſecundum & poſtea geſtis *annales* vel *libros Græcos Acilianos*, quos item ex Græco in Latinum ſermonem vertit, ſequitur. Et tum Græcorum more aliis indicta, ***) ſi modo faceta fuerint †) cupide conſectatur, magnitudinem rerum, numerumque ſimul cæſorum, captorum, prædæque in immenſum auget. ††)

Quum Livius ſemel tantum †††) *Clodium Licinium* laudet, ejusque *librum tertium rerum Romanarum* excitet, quumque præterea talia ſub hoc nomine referat, quæ cum iſto Claudio conveniant, iis qui Licinium modo Clodium modo Claudium eſſe dictum volunt, equidem aſſentio.

M. Porcius Cato.

Cato non tantum ſcriptor luculentus rerum a ſe geſtarum, non tantum laudator virorum ſimul & morum priſcorum fuerat, ſed & actor rerum commemoratione digniſſimarum.

Idem per longam ætatem tam multa viderat; quæcumque viderat, quæ erat ejus ſagacitas & perſpicacia, cum ſuis quæque cauſſis, quam rectiſſime & commodiſſime literis conſignare potuerat; quique amor ejus veri & honeſti erat, quam veriſſime ad poſteros tradere voluerat.

Quid

*) l. 34. c. 10. l. 36. c. 36. l. 39. c. 22. l. 36. c. 38. ubi in numero ſcriptori parum fidei ſit, magnam victoriam fuiſſe apparet. Quid? quod l. 36. c. 40. P. Cornelium Naſicam ſuam victoriam laudantem in ſenatu, dicentem inducit Livius, plus partem dimidiam ex quinquaginta millibus hominum cæſam, quod accurate cum numero a Valerio relato convenit.

**) l. 6. c. 42.

***) l. 38. c. 41.

†) ἀνέκδοτα.

††) l. 25. c. 29. l. 35. c. 14. l. 38. c. 23. l. 29. c. 28.

†††) l. 29. c. 52.

Quid vero nos de viro pluribus dicamus, quem Livius his verbis laudat? *)

„Sed omneis patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat, in hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut, quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars, neque privatæ, neque publicæ rei gerendæ, ei defuit. Urbanas rusticasque res callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit, huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis, idem posteaquam ad magnos honores pervenit, summus imperator: idem in pace, si jus consuleres, peritissimus; si caussa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum, cujus lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiæ nullum extet: vivit imo, vigetque eloquentia ejus, sacrata scriptis omnis generis. Orationes & pro se multæ, & pro aliis, & in alios, nam non solum accusando, sed etiam caussam dicendo fatigavit inimicos. Simultates nimio plures & exercuerunt eum, & ipse exercuit eas, nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi, & linguæ acerbæ & immodice liberæ fuit: sed invicti a cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ; contemtor gratiæ, divitiarum. In parsimonia, in patientia laboris periculique, ferrei prope corporis animique, quem ne senectus quidem, quæ solvit omnia, fregerit. Qui sextum & octogesimum annum agens caussam dixerit, ipse pro se oraverit, scripseritque: nonagesimo annum Servium Galbam ad populi adduxit iudicium.„

Hic Cato igitur non tantum mores sui ævi in bene multis scriptis pinxerat; non tantum in tot orationibus leges, mores, viros, resque quibus interfuerat per tam extentum ævum, dederat descripta. Idem quoque in *originibus suis* mores aureos priscorum virorum, gentium Romanarum nobilitatem & anti-

*) l. 39. c. 40.

quitatem deduxerat, opusque dederat, quod Cicero sexcenties laudat, & unde quam plurima facta in exemplorum priscorum expositionem, quam plurima momenta in oratoriæ artis historiam transfert.

Uterque & Cicero & Livius laudationes & priscas & recentiores, quales in laudem nobilitatis a gentilibus multis per omnia sæcula fuerant habitæ & asservatæ, posthabent aliis scriptis & monumentis. Tam ambitiosum, & mendacii plenum laudandi & ornandi sua quæque prodiderant studium. Qui fons hic videtur Livio apertus fuisse, ut quæ turbata & infecta quasi ex laudationibus haurire eum pigeret, pura, parata cum omnium assensu ex originibus hauriret, & in sua culta immitteret! Et ne semel quidem originum mentionem injecisse videmus; tacitusne illa unquam adhibuerit, ignoramus.

Litteris præterea mandavit Cato res a se ipso gestas. Catonis expeditionem in Hispaniam Livius breviter quidem, sic tamen enarrat, ut qui argumentum hoc cum singulari studio vel elegerit vel tractaverit. In hac ipsa expositione tamen & alios auctores præter Catonem audit, semel tantum, neque postea iterum ipsum actorem & narratorem rerum suarum laudat. Et tum adhuc addit: „*Cato ipse, haud sane detrectator laudum suarum, multos cæsos ait; numerum non adscribit.*" *)

Num magniloquentia Catonis Livium deterruisset, quo minus veræ suæ & nativæ narrationi hæc alio spiritu prolata adderet!

At ego ne magniloquentiam quidem Catoni a Livio in verbis citatis objectam arbitror. Id modo noster designare voluisse videtur, Catonem honesti, & in factis & in dictis, perquam & plus quam ullius alius rei, fuisse studiosum. Cur vero is, qui virum hunc inter primos, quos Roma genuit, numeravit, non scripta, de quibus ipse magnifice judicat, ibi adhibet, ubi ducem talem invenisse, quam maxime desiderabile videretur? Cur, qui orationes ejus sedulo con-

*) l. 34. c. 15.

a se lectas significat, quique ex illis nonnunquam argumenta ad confirmandum aliquod factum desumit, *) historica ejus opera adeo negligit, deque illis tantum non omnino silet? Illam equidem causam fuisse puto, quod Catonis libri in omnium vel Livii æqualium fere manibus erant, & quod qui in Catonis verba a Livio repetita incidissent, modo nimis discrepantia a Livianis illa reperturi fuissent; neque vero adeo deteriora, quin ad Catonem ipsum se referre & ipsa Catonis verba, utut prisco tamen admirabili quodam vetustatis colore distincta fuerint, præferre amarint.

Q. Ennium, qui Romanos, Latinasque literas amabat, nemo ignorare poterat. Neque Livius eum ignoravit; vindicavit potius illius memoriam ab oblivione, dum monumenti ejus, quod item monumentum pretii a principibus Romanorum illi tributi erat, alieno fere loco mentionem injicit. **) Legit illum tam attente, ut præclare ab illo dictum aliquod & pronuntiatum, non modo repetat, sed & suum de Q. Fabii Maximi vera & unica gloria judicium Ennii judicio confirmet. ***) Facete dictum a poëta repetere salva sua dignitate potest. Sed eum, qui versibus fuerat usus, rei gestæ, quæ pedestrem sermonem desiderare videtur, testem & auctorem laudare, a Romanæ historiæ dignitate & severitate fere judicat alienum. Q. Ennius.

Rutilium circa rem, a. u. c. 569. gestam laudat, & testimonium illius de magistratus cujusdam vero anno cum testimoniis Polybii, & Valerii simul excitat, verum ex P. Africani aliqua oratione, Rutilium & cum eo utrumque præterea etiam erroris convincit. ****) Neque ejus, sub isto nomine saltem, unquam præterea meminit. Rutilius.

Græ-

*) l. 38. c. 54. l. 39. c. 42.
**) l. 38. c. 56.
***) l. 30. c. 26.
****) l. 39. c. 52.

Græci scriptores.

Græcos ſcriptores nullos in commemoratione rerum antiquitus geſtarum laudat. *Acilianos annales* ex omnibus primum, & præ omnibus accurate inſpexiſſe videtur. Neque eos ipſos Græca, ut fuerant, lingua conceptos ante oculos habuit; verum ex verſione Claudii. Eum enim, in expoſitione prœliorum in Punico ſecundo bello *ductu L. Marcii* commiſſorum, *annales Acilianos ex Græco in Latinum ſermonem vertiſſe* *) indicat.

Addit quidem magnificam omnino Romanis armis expoſitionem Acilianam, ſed cum ea modeſtiores Romanorum ſcriptorum relationes jungit; fidem Acilio non omnino denegat, dubia tamen ſua adjungit. Jucunda & ſuavia quidem, relatu Acilius, ut Græcus, videtur ſectatus eſſe, ideoque & ea, quæ forſan Romani ſcriptores pro ſua gravitate, vel pro annalium ſuorum ſevero, ut ſic dixerim, ingenio ſpreverint vel neglexerint, ſæpe retuliſſe. **) Nimis jucunda hæc Livius exiſtimat, quam ut prætereat; non ſatis a Romanis auctoribus confirmata, ut pro veris afferat.

Legiſſe Græcos ſe & comparaſſe cum Latinis inde a Punico ſecundo bello, ſæpe indicat Livius. An eundem Acilium ſub illorum plurium nomine una comprehenſum velit, an omnes præter unum adeo ſpernat Græcos, ut nomina eorum addere recte ſuperſedere queat, non perſpicuum. Ceterum bene multos eum legiſſe apparet. ***) Neque vero eos ſolum, qui de rebus in Græcia ****) geſtis ſcripſerant, inſpexit; verum etiam de Romanis & viris & rebus agentes. †)

Unum tamen ex numero Græcorum auctorum, præ ignobilioribus quaſi a noſtro habitorum, diſtinguit. *Polybium ſecuti ſu-*

---

*) l. 25. c. 29.

**) Qualia nos ανεκδοτα dicere amamus, exemplo ſit: P. Scipionis cum Annibale colloquium.

***) l. 32. c. 6.

****) *Cæteri Græci Latinique auctores quorum quidem ego legi annales*, nihil memorabile a Villio actum tradunt.

†) l. 39. c. 50. de comparatione inter Philopœmenem, Annibalem & P. Scipionem inſtituta l. 32. c. 6. cf. & de navigatione P. Scipionis l. 29. c. 27. l. 39. c. 50.

ſumus, *) *non incertum auctorem*, *cum omnium Romanarum rerum*, *tum præcipue in Græcia geſtarum*. Rara ſane & magnifica laus!

A qua neque poſtea quid remittit; verum illum ſe ſequi auctorem in rebus notioribus Græciæ, **) quippe quæ vel in Græcia vel in Aſia acciderant, nunquam negat. In rebus ad Romanos magiſtratus pertinentes, etiamſi cum Romanis ſcriptoribus conſenſiſſe reperiatur, tamen ſuæ rationi potius adhæret, quam Polybii teſtimonio. ***) Ita ut in narratione de Annibalis in Italiam transgreſſu inter multorum auctorum nomina, ne Polybii quidem nomen memoret. Videtur quidem illum eſſe ſequutus in conſtituendo dierum numero; in reliquis vero, etiamſi ad noſtrum ſenſum probabiliora afferat, locorum & regionum ſolum conſideratione permotus, in alia omnia, diverſaque a Polybianis abit.

Quum res Græcorum poſt primam cum Philippo factam pacem, quum Perſei bellum refert, ſingulare quid Livii narratio habet. Primum accuratius longe vel in minutis rebus omnem rerum geſtarum ordinem exhibet, qualis fere, in rebus quidem recentioribus, ex relatione Conſulum & ducum deſumtus non eſſe videtur. Deinde auctores, ex quibus quæque hauſit, nominibus ſuis referre, ſolitisve quibusdam indiciis ſignificare fere omnino deſinit. Græcos igitur ibi ſequutus videtur auctores. Neque ideo vero certiora quævis, & conſtantiora inter ſe teſtimonia ubicunque adducere potuit. ****)

Quem accuratiſſimum vidimus in eo, ut ad ſuos quæque auctores referat, nonne eundem negligentiorem fuiſſe reprehendimus, quum toties fama ſolum auctore ſe quid referre dicat? Famam admittimus in rebus recentibus, dum certus quidam auctor deeſt. Famæ, nesciebant cui fines omnes pervolanti, non- Fama.

 nun-

*) in referendo prœlio ad Cynoscephalas commiſſo l. 33. c. 10.
**) l. 34. c. 50. l. 36. c. 19.
***) l. 39. c. 52.
****) l. 42. c. 66.

nunquam Romani crediderunt, exercitus ſuos in magno eoque externo bello fuiſſe victores; fama illis ſæpe cladem acceptam adque eam reparandam arma eſſe paranda indicio fuerat, dum ii, qui rei geſtæ interfuerant, fugaque Romam verſus ſe ſervarant, latere voluiſſent; fama quoque, & vago rumore militum inde ex caſtris & provinciis perceptis, ſæpe Patres conſcripti fuerunt permoti, ut conviciis abſentes duces lacerarent, utque hujus rei inquirendæ cauſa legatos in rem præſentem excurrere juberent; quod in ipſa P. Scipionis perſona, dum in Sicilia bellum contra Pœnos pararet, accidiſſe legimus. Quæ vero illa fama a teſtimonio omni vel æqualium vel poſteriorum ſcriptorum, a veſtigiis monumentorum prorſus ſecreta & diſtincta eſt, quam de rebus antiquiſſimis, & quorum omnia veſtigia fuerant deleta, ſcriptor fide dignus memorat, cui multum tribuit, quam nonnunquam auctoritati annalium ipſorum præfert? *) Et Livius tamen modo disceſſione in ſacrum montem *famam frequentiorem* aliquam, cujus nullum auctorem indicare poterat, fuiſſe prodit, quam eam *cujus Piſo auctor eſt*; **) modo *fama rerum ſtandum eſſe* profitetur, *ubi certam derogat vetuſtas fidem;* modo *veram famam eſſe;* quæ de re aliqua geſta non niſi ſummum rei memorat; *pervulgatiorem* de eadem re geſta tamen illam vocat, quæ longe uberior omnem ordinem ejusdem rei geſtæ tradiderat. ***)

Duplicem modo *famam* non fuiſſe ſed *eſſe* memorat, circa rem in Italia a magiſtratibus Romanis non quidem in pace, ſed per otium tamen & domi quaſi geſtam, & tum varios auctores nullo tamen nomine addito varia tradidiſſe ait. †) Modo famam aperte fidei opponit.

Fama

---

*) Nullo vero crimine, nulla accuſatione, ne conviciis quidem in ſenatu jactatis *Decimus* legatus tamen *captarum pecuniarum ab regibus Illyriorum ſuspicione infamis audit* l. 42. c. 45.

Octavius Maximilius *ſi famæ credimus*, ab Ulyſſe Deaque Circe oriundus l. 1. c. 40.

**) l. 2. c. 32. c. 33.

****) l. 25. c. 16. c. 17.

†) Horatius Cocles rem auſus *plus famæ habituram ad poſteros quam fidei* l. 2. c. 10. l. 29. c. 21.

Fama a Livio memorata, ut verbum ipſum poscit, utque verba Livii ſupra adducta volunt, eſt tamen ſeparati quid a variis relationibus auctorum. Eſt aliquid, quod Romæ in mentibus civium plurimorum, quibuscum Livius communicabat, vel quorum ſaltem notitiam habuerat, obtinuiſſe videtur. Sit, ut pro ſuo quisque judicio aliquem auctorem præ aliis fidem mereri conſtituerit, vel ſit ut plures aliud quid fuerint ſequuti. Forſan innuit ductum ſolitum quaſi & ſolemnem rerum enarrandarum; commemorationem exemplorum, qualia per omne ævum in ſententiis ſenatorum *) vel in concionibus, vel in edictis magiſtratuum fuerant ex antiquitate repetita, & ſine ulla controverſia æquis vel patientibus auribus fuerant accepta. Forſan erat aliqua gentium Romanarum quaſi traditio oralis; ita ut gentes nonnullæ Romanæ, ſicuti e. g. Catulorum gens ſingulari Latine loquendi facultate celebris erat, in dijudicandis rebus Romanis ita ſagaces & fidi haberentur, ut ex iis illi, qui origines & fontes ipſos non amplius poſſent adire, repetere ſalva judicii fama poſſent. Forſan quod etiam ex literatiſſimis ſui ævi viris ſermonem inſerendo de his rebus geſtis perquiſiviſſe ſibi erat viſus, tum narrationi intexuit, neque tamen alio quo digniori, quam famæ teſtimonio nixum pronuntiare potuit.

Mirandum ſane videtur, Livium in tam ſubleſta annalium & auctorum fide, quum quem unum, vel quos plures præ aliis ſequeretur, non haberet, tamen animum induxiſſe, hiſtoriam perpetuam imperii & finium amplitudine & caſuum varietate eximii ita pertexere, ut inde a primordiis ingrederetur, & per tot errores, per tantam obſcuritatem ad ſua tempora deduceret! Nusquam, ne in recentiſſimis quidem temporibus aliquid ab intenta cura, verum expiscandi, remittere ſe poſſe, jam ab initio proſpiciebat. Nullibi igitur requies, ubivis ſollicitudo, ut cui per ruinas, prisca ſanctitate conſpicuas vel per cineres verius, quos non ſine metu tractes, incedendum eſſet, ubi, ne quid pretioſi, ne

---

*) l. 23. c. 20.

ne quid facri irrepertum relinqueret, omnia moliri eum oportebat. Prima vero moliendo & potiora ad fpeciem fegregando, ne pretiofiora fanctioraque obrueret & obtegeret metus erat; Ingens igitur eum cura circumftabat, ne aliam longe, quam quæ re vera fuerat totius fpeciem ex partibus deftructis, & disjectis, eve conjectura, fui forfan ævi experientia nixa, fibi fingeret.

Hæc reputantem deterrere a confcribenda hiftoria plura potuiffent: erant tamen etiam quædam, quibus tuto niti fibi videretur. Sufcepit enim onus; & quicquid moleftiarum vitæ fere totius fpatium ferre ac pati poffet, huic uni rei tribuit. Quod quidem non feciffet, nifi dispexiffet, fe *hujus operæ facturum effe pretium*. Neque vero ea fpes eum fuftinuit, fore ut unquam id, quod fide fine exceptione dignum foret, inveniat; fore, ut *facile* id, quod verifimile quod multis probabile foret, conftituat.

Contra per maximam totius operis partem fæpe, & ex intimo fenfu confitetur, verum inveniri plane non poffe.

Primum ipfe periodum totam, neque illa brevis & circumfcripta erat, eximit, quam non hiftoriam, verum conjecturas continere profitetur. Initio igitur hiftoriæ, quafi quo capite a reliquo corpore feparato, truncam hac fua parte reliquam molem relinquit.

Per Livium igitur licet, quinque primos libros operis, quamquam magnæ, quis negat? induftriæ, multarum lucubrationum fuerint fructus, eosdem vero ad fidem exiles & illi, qui certa fequitur, prorfus inanes confiderare. Nescio, an ulla operis ejus parte tam ægre carere velimus; nescio an ulli alii parti plus ingenii non in inveniendo, nam reddidit quæ reperire dabatur, fed in conftituendo tribuerit? Verbis vincendo fane id, quod natura fua tenue, exile, & prisca antiquitate horridum erat, ita implevit, aluit, ornavit, ut nihil ejusmodi rerum majori voluptate unquam legiffe fatearis. Totum eft æquabile, aptum temporibus & rebus; ductus rerum geftarum eft ita probabilis, & conveniens fenfui cujusque, ut dum legis, nihil, ne dicam certius, congruum faltem magis nihil aliud legere memineris. Sed fi circa quamque narrationis partem dubia movere, fi prima,

ſi media, ſi extrema aliter accidere potuiſſe, aliter accidiſſe contendere vel calumniari velis, Livium ſane non contradicentem, ſed confitentem habebis diſceptatorem. Res nulla cura & ope conſtituendas dicit, *quarum memoria vetuſtate abiit.* *) *Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magiſtratibus, ut nec qui conſules ſecundum quosdam, nec quid quoque anno actum ſit, in tanta vetuſtate, non rerum modo, ſed etiam auctorum, digerere poſſis.* **) Nulla præterea neque domeſticæ neque extrinſecus geſtæ rei memoria incidere poteſt, de qua dubitare nequeas. Neque id miſeræ alicui & fictæ calumniæ obſequens, verum rationibus non plane nullis ductus. ***) Verum, ut una ejus confeſſione ſæculorum trium priorum & dimidii cauſſam prorſus cadere dicas, ipſum audias auctorem:

„Quæ ab condita urbe Roma ad captam eandem urbem Romani ſub regibus primum, conſulibus deinde ac dictatoribus decemvirisque ac tribunis conſularibus geſſere, foris bella, domi ſeditiones, quinque libris expoſui; *res quum vetuſtate nimia obſcuras*, veluti quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur: tum quod *& raræ per eadem tempora literæ fuere*, una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum: & quod, *etiamſi quæ in commentariis pontificum*, aliisque publicis privatisque erant monumentis, incenſa urbe pleræque interiere." ****)

Quid contra omnem hiſtoriæ fidem apertius certiusve dici poteſt? In iisne vero, quæ poſthinc ſequentur, certiora diſpicere dabitur? Pergit omnino: *Clariora deinceps certioraque ab ſecunda origine, velut ab ſtirpibus lætius, feraciusque renatæ urbis, geſta domi militiæque exponentur.*

Et re vera ex aliqua, verum ut fatear, parva parte certiora videbis, nequaquam vero ubivis. Nonne ipſe paullo poſt in reddenda ratione, num quis locus in urbe ipſa aliquot ſæculis

 ante,

---

*) l. 2. c. 4.
**) l. 2. c. 21.
***) l. 2. c. 41. & alibi.
****) l. 6. c. 1.

ante, vel modo circa finem ſæculi a. u. c. quarti nomen a facto nobiliſſimo traxerit, ſibi parum conſtat? Candidam vero, ſimulque ſollicitam confeſſionem, qua addit: *Cura non deeſſet, ſi qua ad verum via inquirentem ferret: nunc fama rerum ſtandum eſt, ubi certam derogat vetuſtas fidem.* *)

Et ſic etiam per omnem fere hanc periodum, de qua certiora & clariora auctor verus promiſerat, paſſim confitendum eſt ipſi, *mirabile* quidem ſed ideo non minus verum eſſe, *ambigi* de rebus, quæ certiſſima eſſe debuiſſe videantur, de ſummis magiſtratibus, de clariſſimis victoriis, *&* *errorem*, in his ipſis momentis *alium ſequi errorem.* **) Sic per Punicum ſecundum bellum de varietate auctorum in diverſa abeuntium queritur, *quis pro certo affirmet? quum alibi* (alia omnia putes dicere) *inveniam!* ***) Similem ignorantiam veri non poteſt non, vel in rebus fama celebratiſſimis, confiteri. Quid expeditione P. Scipionis in Africam vel clarius, vel ad momentum omnis belli gravius? & tamen in diverſitate maxima narrationum, quot copias trajecerit, *eos auctores,* qui *numerum ſuæ narrationi non adjecerint* circumſpectos dicit, *inter quos me ipſe in re dubia poni malim.* ****) Quid notatu dignius, quid porro monumentis, & conſcriptione fœderis magis notatum obvenire poterat, quam pax cum Carthaginienſibus? Et tamen ob varias de conditionibus relationes, de hac ipſa pace *parum convenire* ait noſter. †) Quid ſpoliorum, captæ prædæ, quantum captivorum per triumphum, ſtudiis civium ipſorum celebratum, fuerit deductum; num dux hoſtium, & quidem, quod inſigne decus triumpho addidiſſet, ex Pœnorum principibus quis, per Romæ ipſius vias fuerit tractus, id noſtro nunquam ad liquidum iri deductum, fuit viſum. ††)

In

---

*) l. 7. c. 6. cf. l. 8. c. 40. *nec facile est aut rem rei, aut auctorem auctori præferre.*

**) l. 9. c. 15.

***) l. 27. c. 1. & c. 7. l. 26. c. 16.

****) l. 29. c. 25.

†) l. 30. c. 16.

††) l. 32. c. 30.

In rebus contra Ligures vel Bojos geſtis, contra quos toties in armis ſteterant Romani, ut prœliorum plane ſimilium, ejusdemque fere fortunæ memoria a variis auctoribus relata fuerit; indeque error multiplex irrepserit, facile tale quid accidiſſe ſuspicabimur, facilisque errori parata videtur venia. *) Si vero in rebus per Græciam geſtis, ubi raro tantum Romani conflixerant, quæ res & nobilitate populorum, & narrationibus ipſorum Græcorum celebratiſſimæ fuerant, idem error obtinet; **) nonne tum ipſum utrumque populum, & Græcum & Romanum fere nondum hiſtoriæ conſcribendæ natos dicas?

Quid vero de hiſtoria Romana omni dicemus, quum vel error invictus, vel negligentia pudenda fata & exitus virorum quam maxime illuſtrium adeo obſcurarit, ut nec Livii induſtria tenebras disjicere potuerit, nec ullius unquam ſagacitas verum per caliginem adeo offuſam unquam detectura videatur?

Sit, ut res procul ab urbe, & quaſi intra præſidia hoſtium geſtas, etiamſi viris cæterum clariſſimis acciderint, æquo animo ignorari patiamur. Contenti ſimus ſcire, *Gracchum conſulem in Lucanis ad campos, qui Veteres vocantur, periiſſe.* ***) Quomodo ceciderit, quid illi mortuo factum ſit, id cum Livio utique ignorabimus. ****) Similis error obtinuerit in prisca civitate Romanorum circa Marcelli conſulis mortem; †) idem teneat, per nos licet, omne ævum. Sic captum Africani majoris filium in præſidiis Antiochi regis, ibique pro Regis filio cultum fuiſſe credemus Livio, & iis, quibus ipſe credidit. *Ubi & quando & quo caſu captus ſit* nos fallere ſinamus, uti *neque inter auctores* a Livio inſpectos, neque ipſi conſtitit. ††) Res

*) l. 33. c. 36. l. 34. c. 48.
**) l. 32. c. 35. l. 34. c. 41. l. 39.
***) l. 25. c. 16.
****) ibid. c. 17.
†) l. 27. c. 27.
††) l. 37. c. 34.

Res tamen notatu dignas, quæ perſonis illuſtribus, & temporibus jam literarum luce quam maxime illuſtratis acciderint, ſic vel aliquorum auctorum neglectu, vel impudentia mentiendi aliorum adeo obliteratas eſſe, mirantes fatebimur.

Quid vero dicemus, ſi idem error circa Q. Fabii Maximi magiſtratus & vitæ exitum vel optimos auctores tenuit? *) Quid ſi de accuſatione P. Scipionis Africani res nunquam ad liquidum deduci queat? ***) Quid ſi de exſilio ejus, de morte, de monumento, in quo corpus mortui fuerit reconditum, Livium fateri oportet: *hæc de tanto viro, quamquam & opinionibus, & monumentis literarum variarent, proponenda erant?* ***)

Quid ſi auctorem, quo neminem alium ſæpius laudat Livius, orationes Catonis, ex quibus momenta temporum conſtitui poterant, quæque in omnium manibus erant, non lectas, ſed fabulas ſine auctore creditas, ejus gravitati ſubſtitutas fuiſſe, edat Livius? Quid ſi tantorum virorum vel vivorum commentariis, vel demortuorum laudationibus fidem vel non habendam, vel ab auctoribus non habitam fateatur? ****) Quid ſi Romam & quæ tum jam literis florebat, circa principes ſuos adeo incuriosam fuiſſe prodat, ut hæc exponere nemo æqualium tanti duxerit; num unquam quid cæcius Romanis iis auctoribus, quos duces habebat Livius, vel ipſis civibus Romanis quid ingratius fuiſſe dicemus?

Fœderum tabulæ, literæ, decreta ſenatus, rogationes.

Addas præterea, ea ſubſidia, quæ noſtri rerum auctores in exoptatiſſimis ad conſcribendam hiſtoriam habent, quibus potiſſimum fidem niti, narrationique auctoritatem accedere putant; quæque uno nomine *documenta rerum*, antiqui forſan *tabulas* dixerint, illa inquam ſubſidianos neſcire, an magis Livio, quam Livius illis defuerit. Adeo rara fœderum ictorum concepta verba refert; adeo raram relationum vel decretorum Romani ſenatus memoriam injicit; adeo parcus in referendis ipſis lite-

*) l. 30. c. 26.
**) l. 38. c. 55.
***) l. 38. c. 57. l. 39. c. 42.
****) l. 8. c. 40.

literarum publice missarum verbis fuit, ut hæc solum respiciens sit fere quod dicas, eum non ductum tabularum sequi, historiam neque qualem illæ commonstrabant, formare; verum potius cunctam narrationem pro ingenio aptare, & ad formam, quam judicii sagacitas illi commendaverat, vel quam Romanæ magnitudini debita quasi veneratio suaserat, accommodare. Longe æquius verum de illo judicabimus, si quid tum homines ab auctore rerum repoposcerint, & scribi voluerint, consideraverimus. Oratorium opus omnes velle, & tenuitatem, quæ ex computo, rationibus subtiliter deducendis, quæ ex argumentatione critica prodit, spernere. Imaginem potius veris, si daretur, at vividis, ut qui maxime, coloribus expressam & perfectam; quam lineamenta sicca & subtiliter descripta desiderare. Horum quæsitæ voluptati aliqua ex parte non potuit non servire; minus vero illi tributum apparet, si propius spectaveris: quoties tamen fontes supra dictos adierit, in quemque usum inde hausta adhibuerit. Quam raro Romani scriptores ante Livium fœderum ipsa carmina inspexerint, & ipsa inde verba in sua transferre curarint, Valerius Antias exemplo sit. Quid testibus ipsis literis Romanis celebratius erat, quam pax primum cum Philippo Macedoniæ rege facta? Ea Græcum quasi orbem Romanis subjecit; ea reliquum omnem terrarum orbem aperuit. Hac pace Romani arbitri sortis Græcæ libertatis fuerant facti. Quid facilius scriptori rerum, quam hoc ipsum fœdus inspicere, ejusque leges cum fide in suam narrationem transferre? Contra vero egit Valerius Antias, aliaque omnia de hac pace retulit. *) Laudat illum tamen, & ita corrigit Livius, quasi in re aliqua difficili explicatu & confirmatu, quasi in errore aliquo, e quo non facile emerseris, fuisset versatus. Nonne hoc aperte indicat, Romanis scriptoribus licuisse & de pace loqui, cujus leges in tabulario senatus asservatas non inspexerint; Romanis

*) l. 33. c. 29.

nis perinde quaſi eſſe viſum, num aliunde, quam ex vero fonte pacis leges memorent? Sic ipſe Livius raro quidem, ipſa verba fœderum, cæterum ſollicita adeo cum cura tamen argumenta eorum exponit, ut inde res geſtas, quæ alias ſine dubio obliteratæ fuiſſent, repetat, earumque memoriam inde confirmet. *)

Relationes in ſenatu a magiſtratibus vel urbanis vel provincialibus ſenatui propoſitas, decretaque ſuper earum argumenta concepta, ſine dubio aſſervata ad ærarium vel ad ædem nympharum exſtabant, quamdiu res Romana libera ſtabat. Quod quidem inſigne adjumentum hiſtorico, ſedulo talia conſulenti, ad conſtituendam hiſtoriæ veritatem eſſe debuiſſet. Jam circa res priscæ Romæ Livius ſæpe infert, relatum fuiſſe ad ſenatum Romanum de bello geſto a ducibus, relatum de triumphi ſpe; raro vero, & non niſi Punico ſecundo bello, mentio a Livio facta eſt relationum, in ſenatu de aliis rebus factarum. Num inde effici dicemus, ante hoc tempus nihil ſcripti de his rebus aſſervatum, vel ſi quid exſtiterat, non fere conſultum fuiſſe a ſcriptoribus ante noſtrum res conſignantibus. Vel Livio noſtro poſt bella civilia non contigiſſe, reperire & eruere, vel non licuiſſe conſulere veſtigia libertatis patriciæ, quæ ex violentia converſionum ſervata paſſim exſtabant? Nonnunquam tamen ſententiarum & decretorum ſenatus memoriam ita infert, quaſi quæ momentum in hiſtoria conſtituenda faciant. *Peruſinorum caſus obſcurior fama eſt; quia nec ipſorum monumento ullo eſt illuſtratus, nec decreto Romanorum.* **)

Inſigne exemplum diligentiæ nobis exhibet, cujus laudem petit eo, quod non ſummam decreti in ſenatu concepti refert; neque minus orationes a ſe compoſitas, quaſi quæ ex ore ſententias dicentium fuerint profectæ, ad ingenii ſui laudem, vel ad voluptatem legentium inſerit: verum brevitate & gravitate ſenatoria prolatas varias ſententias ita reddit, ut memoriam rerum in eo ſenatu tractatarum preſſe ſequutus, vel commentarios

ante

*) l. 2. c. 33. l. 1. c. 24.
**) l. 23. c. 20. cf. l. 25. c. 5.

ante oculos habuisse, vel acta a senatu inspexisse videatur. *) Ita & *rogationes* nonnullas, inter quas & illam, qua mortuus P. Scipio fuerat incessitus, verba retinens presse est sequutus; **) Literarum vel ad senatum ipsum datarum, vel quarum mentio in senatu fuerit facta, jam sæpius meminit. Sic medio bello Punico secundo *literas Prætorum* ex Sicilia & Sardinia in senatu *recitatas;* sic de exceptis *Annibalis & Philippi literis*, cum cura iterum a consule *consignatis*, in senatu fuisse consultum & percunctationem ad earum ductum factam, memorat. ***) Sic ex Hispania a Scipionibus, ex Sicilia ab T. Otacilio Proprætore, indidem a M. Marcello; ex Gallia lætarum ob victoriam insperatam, ex Hispania tristium ob cladem sub Proconsule acceptam, tum T. Quinctii Flaminini, ob victoriam de Philippo reportatam, non in senatu tantum, sed & in concionibus recitatarum meminit. ****) In tanta brevitate, quam retinens non nisi summam literarum, & ea quæ cum ordine rerum gestarum a se descripto convenirent, refert, ex istis literis non dijudicare datur, num ipse ullum earum literarum exemplar unquam manu tenuerit, an ita scriptum a ducibus fuisse ex probabili, vel probata aliunde rerum serie collegerit, vel natura duce finxerit. Nonnunquam tamen discrepantiam aliquam literarum, vulgo inde e castris ad familiares Romæ degentes datarum, a publicis ducum literis refert. Copiosius immo de istarum argumento loquendo, & quanta auctoritas illis vel in senatu fuerit habita, commemorando, speciem quasi fert, se eorum notitiam accuratiorem habuisse. An inde efficiatur, talium literarum ævo auctoris adhuc exempla esse servata, alii viderint. Equidem non temere hoc contenderim, quamquam modo literarum singulari cum

*) l. 23. c. 20.

**) l. 38. c. 54. Celebratæ illæ de lege Oppia orationes huc tamen ideo non referendæ, quoniam non verba oratorum illum tenuisse apparet.

***) l. 23. c. 38.

****) l. 23. c. 48. l. 22. c. 56. l. 25. c. 5. l. 32. c. 31. l. 33. c. 24. c. 25. l. 40. c. 43.

cum cura Romam transmiſſarum, ibique ita lectitarum meminerit, ut ſi argumentum uberius Livio, quaſi epiſtolam ante oculos habenti, innotuerit. *)

Senatusconſultorum vero paſſim ſic meminit, ut multa eorum aſſervata diu, auctoritatisque cauſſa ſæpe repetitam eorum poſtea in ſenatu memoriam, appareat. Ut ſenatusconſulti, fama & crebra mentione, celebratiſſimi, de Bacchanalibus non meminerim, aliorum **) de rebus minus gravibus ſimiliter memoriam eſſe perpetuatam conſtat. **)

Orationes habitæ.

Orationes & a magiſtratibus habitæ, & cauſſæ dictæ multæ ſine dubio exſtabant. Neque illæ quidem publice collectæ, verum a curioſis, vel in gentium Romanarum ſcriniis aſſervatæ, ita ut non difficile eſſet, illas inſpicere. Livius, quippe qui Valerio Antiati crimen movet, quod neglecta lectione orationis priscæ quidem, verum ſatis celebratæ, aliud argumentum peregiſſet, ****) ſine dubio nobiliores orationes, quarum notitia ad eum perveniſſet, legerat. Idque eum, qui tot orationibus hiſtoriam ſuam diſtingueret, quique in iis nativum cujusque temporis, & quorumvis animorum ſermonem ſequi vellet, ſedulo feciſſe putamus. Probavit id quoque in cauſſis & actionibus Petilliorum & Næviorum contra Scipiones; in Catonis variis actionibus, ut in L. Quinctium, & de pecunia regis Antiochi, aliisque bene multis. †) Neque tamen iis, quæ ab oratoribus vel a cauſſarum actoribus fuerant dicta, ita omnino fidem habuit, ut exceptione omni majora fuiſſe ſignificaret. Probe id tenuiſſe videtur, aliam eſſe adverſarii, & litigatoris, qui qualem deſiderat exitus, talem eſſe cupit rem, aliam teſtis fidem, qui rem qualem vidit, memorat: aliud eſſe oratorie, aliud pro auctoritate hiſtoriæ ſcribere.

Si

*) l. 41. c. 16. ibid. c. 20.

**) libr. 39. ineunte.

***) l. 40. c. 44.

****) l. 39. c. 43.

†) l. 38. c. 54. l. 39. c. 42. 43. & c. 57.

Si quæ monumenta rerum geſtarum in ædibus, columnis, titulis vel nominibus ex illo tempore loco cui nobilitato inditis, memoria poſterorum fuerant reculta & ſervata, ea non dicam ubivis, ſæpe tamen accurate memorat. Eandem curam in nominibus conſtituendis, & in tribuendo cuique regioni vero ſitu adhibet, inde a priscis temporibus incipiens, *) etiam in recentioribus, utut arma Romana exteras regiones fuerant transgreſſa, ſimili ſollicitudine delineationem propagat. **) Tituli, monumenta.

Probe tenet, quæ vis argumento hiſtorico, ex monumentis in memoriam rei geſtæ conſtructis, merito tribuatur. Neque obliviscitur, talia memorando animis lectorum ad antiquitatis priscæ venerationem, & ad fidem ſic confirmatis rebus habendam, magnam quaſi adhiberi vim. Hinc in rebus urbanis & domeſticis, præprimis in antiquiſſimis quibusque, cum nominibus etiam ſitum, & ipſum nativum locum deſignare amat. ***)

Quæque ſuo vel patrum memoria vel eodem, quo antiquitus, vel variato nomine inſignita ita exſtiterint, ut prisci ſtatus memoriam renovent, ea in rebus uti graviſſimis, ſic omnino tenuibus, ſummo ſtudio colligit, ſuæque narrationi inde fidem adſtruere cupit. Sic locus, ſpoliis de Albanis trigeminis captis deſtinatus, ita conſignatur, utqui nunc *Pila Horatia* appelletur; ſic jugum in piaculum Horatiæ a fratre cæſæ, *quod hodie quoque publice ſemper refectum maneat*, *ſororii tigilli* nomen ferre indicat; ****) ſic curiam aucto a rege Tullo ſenatu exſtructam, usque

*) l. 1. c. 30. quæ ſilva fuerit *malitioſa* dicta; quæ *Ciminia*, *macri campi*, montes *Letum & Baliſta* in Ligurum agro l. 41. c. 22. Quam ſollicitus fuit in via, qua Annibal, qua poſtea Amilcar, qua toties Gallorum tumultuariæ copiæ Alpes transcenderant!

**) Sic Thermopylarum, ſic Scodræ Illyricæ verum ſitum, ſic Aonii ſaltus difficultatem, ſic Hæmi montis proſpectum, non tam animi, quam quidem res ibi geſtas explicandi cauſſa, in deſcriptione ſua quaſi depinxit.

***) Quæ ſedes *Murciæ*, quæ *foſſa Quiritium* l. 1. c. 33. Qui circi locus, quæ rebus ad illum pertinentibus nomina indita l. 1. c. 36. *Mucia prata* l. 2. c. 13. *Infelix* ab expeditione Fabiorum dicta *via* l. 2. c. 49.

****) l. 1. c. 26.

usque ad patrum ætatem Hostiliam appellatam; *) sic ædes P. Valerii consulis antea in summa Velia institutas, in infimo postea *clivo, ubi nunc Vicepotæ est, ædificatas;* **) sic urbe capta, a Flaminibus profugientibus sacra condita in doliolis sacello proximo ædibus Flaminis Quirinalis, *ubi nunc despui religio est*, esse defossa: ***) *locum ubi nuper Dianium fuit*, olim *summum Cyprium vicum* audiisse; ****) viam, cui olim *Ficulnensis nomen* fuerit, jam *Nomentanam* dici.

Ex titulis, quibus columnæ & monumenta fuerant inscripta, ut certioribus longe argumentis, fidem historiæ posse adstrui, non eum certe fefellit. Quod si non sæpius titulorum talium habuit rationem, illos vel defuisse, †) vel nimis difficile ingratumque Livio visum credamus, quo minus circa unamquamque rem gestam operam, quam plures juncti sæpe ingratam repererunt, ingratissimam unus susciperet.

Pristini ævi res constituendo tamen *columnam æneam*, cui fœdus ab uno Sp. Cassio ictum insculptum sit, momento esse prodit, collegam ejus Postumum belli cum Volscis caussa absentem fuisse; alias totius hujus belli *memoria cessisset.* ††) Thoracem linteum, inque eo de Corn. Cossi spoliis opimis inscriptum titulum, ab Augusto esse visum, omittere, pro sacrilegio habet.

Nonnunquam tamen verba ipsa titulumque omnem insculpta columnæ, vel tabulæ publice fixæ, integra retulit. †††) Primo quum T. Quintius, Præneste in deditionem accepto, signum Jovis Imperatoris posuisset, subque eo tabulam fixisset. Iterum, quum tabulæ, in qua Ti. Sempronius Gracchus Sardiniæ insulæ formam, atque

---

*) l. 1. c. 30.

**) l. 2. c. 7.

***) l. 5. c. 40.

****) l. 1. c. 48.

†) l. 25. c. 39. Monumentum Victoriæ L. Marcii de Pœnis, in Capitolio olim fixum, clypeumque Marcium appellatum, cum imagine Asdrubalis ipse inspicere non potuit, cum incenso Capitolio periisse indicet.

††) l. 2. c. 33.

†††) l. 4. c. 20.

atque ſimulacra pugnarum pingi curarat, mentionem facit. *) Tertio, quum duplices tabulas ejusdem argumenti in *Larium Permarinorum*, & in *Jovis Capitolini* ædibus eſſe fixas memorat. **)

Unum, quod nobis quidem pergrave fidei hiſtoricæ argumentum videtur, ut nec alii rerum auctores ſic & ipſe non in ſubſidiis conſtituendæ ſuæ hiſtoriæ habuit. Nunquam nummorum neque gentilium, neque Conſularium, triumphaliumve meminit. Minusne talia auctoritatis tum habuerint, an nondum collecta usquam fuerint, quum ſane vix dactyliothecarum ipſarum nomen Romanis tum innotuiſſet, an operam talia exquirendi & nimis levem fructum promittere, & ſimul tædii nimis plenam eſſe putaverit, non conſtat. Id tantum apparet, illum nunquam ne memoriam quidem hujus adjumenti hiſtorici injeciſſe.

Operæ ſane Livium peperciſſe neminem, qui hæc, quæ adhuc adduximus, perpenderit, criminaturum puto. Neque ſolum in rebus momento ſuo graviſſimis operam inſumſit, neque in notiſſimis ſolum, ubi refellere errantem vel conſulto fingentem facile fuiſſet; neque in talibus ſolum, quæ ſuavitate ſua operam rependerent, quæ lectoris animum ipſo argumento vel apta narratione, tenere poterant; verum etiam in minutiſſimis rebus. Ne ductus quidem literarum in antiquiſſimis nominibus negligit: Furios eosdem & Fuſios olim ſcriptos, Veturium eundem etiam Vetuſium forſan audiviſſe, ideo *admonet*, ne quis *immutationem virorum ipſorum, quæ nominum eſt, putet.* ***) In ſignificatione vocabulorum priscorum, ****) in conſtituendis & definiendis rerum orginibus, ultra quam exſpectari poſſe videretur,

*) l. 6. c. 29. l. 40. c. 33.

**) l. 40. c. 52.

***) l. 3. c. 4. l. 3. c. 8.

****) qui *ſubitarii* milites l. 3. c. 4. quæ *ſpectacula*, aliaque ad ludos pertinentia olim dicta fuerint l 1. c. 36. Et ſic per priores ſex libros indefeſſa opera pergit. In rebus, per Græcos primum cognitis, etiam per omnes libros ſic agit.

retur, fuit accuratus. Quæ quovis tempore ædes vel publicæ vel deorum, quæve alia ornamenta urbi accesserint, id a primo usque ad quadragesimum quintum librum ne unquam quidem omisit. In magistratibus, suo quemque anno, referendis, immo a quo cujusque anni comitia fuerint habita, etiamsi ad annum vel ad nomen constituendum nequaquam pertineat, nimium quantum tamen ubivis laborat. *)

Sic per omnem historiam res, quas nequaquam splendescere posse sperabat, e. g. prodigia, aquas nimis auctas, annonam modo præter spem laxam, modo arctiorem, pestilentiam quamque, mortes Pontificum, utut hæc, vel ex annalibus aliorum, vel ex libris diurnis exquisierat, summa cum fide, vel sexcenties iisdem vocabulis annunciando repetit. Dolet modo, se non in omnibus ejusmodi rebus ad verum pervenire potuisse. **) Quam, modo ingrediens historiam, providerat operam, ab ea nec in priscis, ubi difficillimus labor eum exspectabat, nec in mediis & florentibus, nec in immensis jam per omnem orbem fusis Romanis & consiliis & rebus, unquam quid remisit. ***) Quoad in rebus urbanis & domesticis versaretur, nunquam videris, eum pertæsum esse hujus operæ. Neque diligentia in rebus peregrinis exponendis explicandisve defuit. Res Campanæ, ****) Hirpinæ, Bruttiæ, †) Gallorum ††) & Pœnorum †††) ante bella cum Romanis suscepta, res Philippi Macedonis domesticæ, ††††) & Græcorum privatæ eadem fere accuratione illi narrantur, quam si ad Ro-

---

*) *Omnium prope annales* (quos igitur circa hanc rem omnes consuluerat) *Fabium dictatorem rem gessisse tradunt.* Ipse eum non dictatorem sed Prodictatore fuisse, exquisivisse sibi videtur.

**) l. 2. c. 40. *id publicum consilium, an muliebris timor fuerit, parum invenio. Certe* — — cf. l. 7. c. 6.

***) l. 1. præfat. *Facturusne operæ pretium sim — nec satis scio; nec si sciam, dicere ausim. — Res est immensi operis.* cf. & præfationem libri 31.

****) l. 4. c. 44. l. 23. c. 2. c. 5. c. 7. c. 15. c. 35.

†) l. 23. c. 1. l. 27. c. 15.

††) l. 5. c. 17. l. 5. c. 34.

†††) l. 3. & 4.

††††) l. 26. c. 25. l. 27. c. 31. l. 39. i. 40. passim.

Romanos pertinuerint. Senſit tamen & confeſſus eſt, ſe opprimi fere hac ad peregrinos pertinente opera ſuſcepta.

„Non operæ eſt perſequi, ut quæque acta (in bello a Rhodiis, contra Antiochum vel Philippum pro Romanis, ſuſcepto) in his locis ſint, quum ad ea, quæ proprie Romani belli ſunt, *vix ſufficiam.*" *)

„Lycii quoque per idem tempus ab Rhodiis bello vexabantur. *Sed externorum inter ſe bella, quo quæque modo geſta ſunt,* perſequi non operæ eſt; *ſatis ſuperque oneris ſuſtinenti* res a populo Romano geſtas ſcribere."

Et ſi conſideramus quantam, quam moleſtam, tædiique plenam operam illi injunxerit unum illud officium conſulendi auctores, qui ante eum res Romanas ſcripſerant, non mirabimur, eum non tantum conſulto exemiſſe complexum aliquem rerum externarum, quas deſcribere noluerit; ſed defeciſſe quoque nonnunquam in iis rebus, quas deſcribendas ſibi ſumſerat. Conferamus, ſi lubet, operam levem, qualis hodie, remotis tot difficultatibus, manet hiſtoricum, cum illa quæ Livio erat ſubeunda. Noſtri rerum ſcriptores conſultant tales ante ſe auctores, qui vera & certa artis criticæ præcepta fuerant ſequuti, quique inter ſe vel vere antea dicta jam conſtituerant, vel falſo credita exploſerant. Adſunt exemplaria ad legendum, ſine omni fere moleſtia, paratiſſima; adjuvant libri & ſegmenta bene & commode diviſa, indices viam indicant, paginæ quodvis viæ ineundæ ſpatium deſignant. Livio conquirenda erant ex familiarum ſcriniis, & literatæ cujusdam domus umbra exemplaria. Si jam omnes eſſet nactus auctores, tum ad unamquamque rem conſtituendam ex integro quisque erat evolvendus. Nemo priorum auctorum alterum reſpexerat, nemo cum altero communicaverat; quisque, quaſi ſolus ſcripſiſſet, ſibi tantum probata, non a pluribus perpenſa in medium proferebat. Addeſis operam evolvendi, requirendi notitiam ejus ipſius rei, ad quam nulla indicis ſignificatio deducebat; nullum argumenti libro antepoſiti, nul-

 lum

*) l. 33. c. 20.

**) l. 41. c. 30.

capitum & diſtinctionum veſtigium invitabat. Per indiſtincta voluminum, linearum, vocabulorum cæcutientis inſtar tibi erat tentanda via, aperiendæ locorum difficultates. Hæc impedimenta perquam gravia fuiſſe, ex querente Livio ipſo percipiamus. Viderat errorem in Valerio Antiate ita manifeſtum, ita gravem, ut non poſſet non indignari, lectores adeo nullius judicii fuiſſe viſos ſcribenti. Cui vero irasceretur merito, nesciebat, ſcriptorine qui alias referre vera non magis quam mentiri inviſa calleret, an librario, cujus manus hic aberraſſet. *) At forſan aliud exemplar, non ab ejusdem librarii levi opera profectum, inſpicere poterat! Plura non ad manus erant; occaſio modo, modo tempus, modo & patientia deerant, plura vetuſta vel neglecta exempla conſulendi. Ex ductu literarum inelegantium, & prisca ſua forma repellentium in quacunque re minuta divinare potius jubebaris, quam ad facilem per lucidas formas & diſtinctas lineas curſum invitabaris. Et ſic in multis hiſtoriæ partibus non eſt, quod eum accuſemus, ſi tædio ipſo & opera ſæpe infelici fuit deterritus. Miremur potius, eum id præſtitiſſe, quod ante eum unus forſan Varro præſtare inquirendo potuiſſet, qui vero idem rebus ornandis impar, amplitudinem rerum ſimul & exſpectationem lectorum deſtituiſſet.

In confirmandis vel explicandis rebus geſtis ſemper naturæ hominum habuit rationem. **) Neque nimis perverſos, neque ultra humanam magnitudinem elatos, eos fingere amat. Appium libidini ſuæ & ſceleri, eique decreto, quo Virginiam ſervituti & ſuæ cupiditati addiceret, aliquam ſaltem vel miſeram vel fictam cauſſam addidiſſe, erat probabile, Livius ideo adjicit: ***)

„Quem decreto ſermonem prætenderit, forſan aliquem verum auctores antiqui tradiderint, *quia nusquam ullum in tanta fœditate decreti veriſimilem invenio*; id quod conſtat, *nudum videtur*

*) l. 38. c. 56.

**) Livium & multo ſtudio & experientia doctum naturam cognoviſſe, ex ſenſu ejus, innumeris & ſententiis & decretis manifeſtato, poſt hæc probatum ibimus.

***) l. 3. c. 47.

videtur proponendum, Decresse vindicias secundum servitutem. Primo stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit, silentium inde aliquamdiu tenuit. "

Attalum quem Græci fere omnes regni adeo cupidum fingunt, ut in locum & thalamum fratris, falso pro mortuo habiti quomodo succederet, posthabito pudore festinarit, Livius non adeo temere agentem; neque vero Eumenem adeo lentum describit. *) De Horatiis duobus contra, eorumque elato supra res humanas animo, levem, sibique relictam famam timide affert, quam alii maxima cum fiducia, ut omni auctoritate nixam proproposuerant. De Coclite, cujus fortitudinem in dubium vocare Romano quasi religioni fuisset, ipse tamen dubitare audet, adjiciens: *rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei.* **) De Consule Horatio, cui forte evenerat, templum Jovis Capitolini dedicare, exponenda quidem & nostro est fabula, eum ne morte quidem inopinata filii interpellari se sivisse. Ceterum ei, qui naturam humanam respicit, non facile iri persuasum significat. Perire Romanæ civitati eximii roboris exemplum mavult, quam factum asserere, quod, supra sensum humanum, forte doctioribus videatur. ***)

„Aegrius, quam dignum erat, tulere Valerii necessarii dedicationem tam incliti templi Horatio datam; id omnibus modis impedire conati, postquam alia frustra tentata erant; postem jam tenenti consuli, fœdum inter precationem Deum nuncium incutiunt: mortuum ejus filium esse, funestaque familia dedicare eum templum non posse. Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit; *nec traditur certum, nec interpretatio est facilis.* Nihil aliud ad eum nuncium a proposito aversus, quam ut cadaver efferri juberet, tenens postem, precationem peragit, & dedicat templum. "

Ex

*) l. 42. c. 16. l. 45. c. 19. 20.
**) l. 2. c. 10.
***) l. 2. c. 8.

Ex ſenſu, quem ipſe habuerit, ſenſum lectorum præſumit. Fingit enim ſibi lectorem prudentem, naturæ rerum & ejus quod probabile videatur, rationem habentem; & cui nihil, quod contra naturam ſit, perſuaderi poſſe videatur. Occurrit igitur ejus dubiis, & quæ ipſe rectius & acutius mente præſumſerit, ea intelligens intelligentem lectorem in ſua luce expoſita videre velit. *)

„Non dubito præter ſatietatem tot jam libris aſſidua bella cum Volſcis geſta legentibus, illud quoque ſuccurſurum (quod mihi percenſenti propiores temporibus horum rerum auctores miraculo fuit) unde toties victis Volſcis & Aequis ſuffecerint milites: quod quum ab antiquis tacitum prætermiſſumque ſit, cujus tandem ego rei præter opinionem, quæ ſua cuique conjectanti eſſe poteſt, auctor ſim?

Teſtimoniis ipſis, etiamſi iisdem non fere fidem deneget, poſtpoſitis, nonnunquam rationi ſolum obſequitur, prout meditantem de re geſta, deque factis hominum ducebat. Rationem trajiciendorum ab Annibale elephantorum, quum ad Rhodanum perveniſſet, primo teſtimoniis variis propoſitis, non a ſe probatam affert. Tum addit: *Ceterum magis conſtat ratibus trajectos: id, ut tutius conſilium ante rem foret; ita acta re, ad fidem pronius eſt.* **)

Probabilitati rei ita adjungere mentem ſuam amat, ut quæ veriſimilia maxime ſint, nonnunquam iis anteponat, quæ auctor minus ad omnia reſpiciens, etiamſi rebus ipſis interfuerit, fuerat teſtatus. ***) Si auctor alias gravis, natura rerum non conſiderata, difficultates a flumine lato & rapido oppoſitas victori exercitui, nimis facili negotio ſuperatas profert, Livius e contrario auctoritatem rationis & naturæ potiorem proponit: *Ea peritis amnis ejus vix fidem fecerint.* ****) Contra priſcos annales, qui naturam alius fluminis, ut a veteribus fuerat deſcripta, poſthabuerant,

*) l. 6. c. 12. cf. & l. 43. c. 15. quid ipſe de prodigiis ſentiat.
**) l. 21. c. 28.
***) l. 21. c. 38.
****) l. 21. c. 47.

buerant, & majora, quam quæ credi possent, in gloriam Romanorum prædicaverant, Livius satis habet adjecisse: *rem æque difficilem atque incredibilem in majus* (ut fit) *celebrantes, victoriæ navalis* (quippe raræ) *vanum titulum appetivere.* *)

Ubicunque natura regionum accurate indicata dubia tollere, ubi delineatio aliquid explicare, & lectores in rem quasi præsentem transferre potest, Livius sane claræ expositioni, lectorumque suavitati nunquam ita deest, quin singulari opera res ipsas, quasi in qua tabula pictas, oculis legentium subjiciat. **)

Sic in genere in rebus miraculo similibus referendis naturam, & id quod ad fidem & persuasionem referri posset, potius sequitur, quam nova, & indicta aliis, vel amplitudine sua & magnificentia stuporem injectura. Neque illi aliam ullam ob rem Valerius Antias tam odio est, quam quod extraordinaria & mira quæque veris præfert, & miracula rerum captat.

Livius quidem neque in antiquissimis rebus memorandis, neque in recentiori quidem ævo describendo, supersedere potest miraculorum commemoratione. Nam id fuisset Romanum exuere; & quæ, antiquitatis propria erant antiquis rebus detrahere. Contra religionem porro simul & contra fidem auctoris rerum, suspicionem movisset. In ipsis originibus urbis commemorandis, ***) in rerum multarum initiis ex obscuritate protrahendis ****) nostrum pudentiorem, longeque rationis & veritatis rigidiorem asseclam videbimus, quam plerosque alios.

*) l. 4. c. 34.

**) Ex quam plurimis passim injectis delineationibus, hic modo in Italia itinerum Hannibalis, unius per Alpes l. 21. c. 18. alterius ex Campania ad urbem l. 26. c. 11. Præ aliis exterarum regionum descriptionibus, supra memoratis, modo saltum illum descriptum memorabimus, per quem Q. Marcius Philippus in Macedoniam pervenerat l. 44. c. 2.

***) l. 1. c. 3. *Julum* quidem, quem *Julia gens auctorem nominis sui nuncupat*, in honorem Juliorum narrationi suæ intexit, addit vero: *quis rem tam veterem pro certa affirmet?*

****) *Martem stirpis incertæ patrem nuncupat, quia Deus culpæ auctor honestior Rheæ Silviæ* erat. l. 1. c. 4. Et sic alia fere omnia.

*) l. 1. c. 8. *me haud pœnitet eorum sententiæ esse*, qui non ex augurio numerum lictorum duodecim deducunt, verum ex Hetruria arcessunt.

De Servio Tullio puero *eorum magis ſententiæ eſt*, qui veritati propiora tradunt. *) D. Sp. Tarpeji filia, quum varias auctorum relationes attuliſſet, de ea, quæ rem miraculo proximam efficeret, *additur*, inquit, *fabula.* **) Eandem & de Junone Regina a victoribus Romanis interrogata: *visne Romam ire?* & *ſe* quidem *velle* vel annuente, vel reſpondente ab impudentioribus hiſtoricis *inde fabulæ adjectum eſſe* prodit. ***) Quod talem notam aperte fictis fabulis non ubivis adjecerit; id tædio repetendæ, & ſæpius præ ſe ferendæ, indignationis eum feciſſe putes. Ubi cauſſa aliqua ex miraculo petita, rebus certis vel probabilibus ſaltem, ab aliis affingitur, ipſe niſi proxima, at propiora tamen naturæ ſubminiſtrare ſolet. ****)

Miracula porro nonnunquam veritati ipſi opponit: *veræ gloriæ ejus etiam miracula addunt.* †) *Inde locum fabulæ ac miraculo datum.* ††) *Hæc ad oſtentationem ſcenæ gaudentis miraculis aptiora, quam ad fidem, neque affirmare, neque refellere operæ pretium eſt.* †††) Populum victorem & dominum aliarum gentium eo aliis *imperaſſe*, quod *diis ſe minorem* gereret, non poëta magis unus cecinit, quam & plebs & optimates & populus omnis omnium ſæculorum, perhibuit, & grata piaque mente ſemper recoluit. Qui auſpicia contemneret, eum vindicta numinis dignum omnes ducere. Neque noſter auſpiciorum, ne prodigiorum quidem neglectorum crimen incurrere velle. Cautiores tamen ſuos lectores reddere vult; excitare eos, ut circumſpiciant, ut dijudicent, ut fraudem, ut temere dicta, a rite traditis ſecernant; ut rationem & judicium ad-

---

*) l. 1. c. 39.

**) l. 1. c. 11.

***) l. 1. c. 25. cf. l. 25 c. 39.

****) l. 6. c. 33. *Inde eos nec ſua religio arcuiſſe* dicitur, aliis quidem, non Livio l. 42. c. 29. *Dicitur* caput humanum inventum l. 1. c. 55. Q. Fulvius Flaccus, flagitioſus ſane, laqueo vitam finivit: *Erat opinio* (ſine dubio & Livii) *minus compotem fuiſſe ſui* „vulgo Junonis ira mentem ejus alienatam."

†) l. 25. c. 29.

††) l. 1. c. 4.

†††) l. 5. c. 21.

adhibeant, quæque ex sanæ mentis & rationis scrutinio reprobari debeant, reprobent. Verbo, quæ naturæ repugnent, de iis dubitare quemque prudentem vel sinit, vel exemplo suo monet, vel aperte jubet. De numero lictorum non ex augurio, verum ex urbium Hetruscarum numero derivando, supra jam vidimus. *)

„Inter principia condendi hujus operis, movisse numen ad indicandam tanti imperii molem *traditur* Deos. Nam quum omnium sacellorum *exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere. Idque omen, auguriumque ita acceptum est, non motam Termini* sedem, unumque eum Deorum non evocatum sacratis sibi finibus, firma stabiliaque cuncta portendere." **)

Iudicium tandem Livianum, occasione Camilli, post devotionem capitis sui, corruentis, de divinationibus omnibus prolatum, sane, ne philosophum quidem nostri ævi, dedecuisset. „Dicitur Camillus manus ad cœlum tollens precatus esse, at si cui Deorum hominumque nimia sua fortuna populique Romani videretur, ut eam invidiam lenire suo privato incommodo, quam minimo publico populi Romani liceret. Convertentem se inter hanc venerationem *traditur* memoriæ, prolapsum cecidisse: *idque omen pertinuisse postea eventu rem conjectantibus visum* ad damnationem ipsius Camilli; captæ deinde urbis Romanæ, quod post paucos accidit annos, cladem. ***)

Livium non prorsus sensum Romanum exuere potuisse, censebimus, si æqui esse, & quæ a natura quasi, ab educatione, ab iis quæ primum vidimus & perpetuo audivimus, candori mentis impedimenta obstent, considerare voluerimus. Eum iniquum nonnunquam contra libertatem aliorum populorum fuisse, ita ut non viderit, ****) ea, quæ Rhodii in senatu proposuerint, non quidem sine magniloquentia, si quid reprehendere

vo-

---

*) p. 35.

**) l. 1. c. 55.

***) l. 5. c. 21.

****) l. 44. c. 14. *Ne nunc quidem hæc sine indignatione legi audirive posse certum habeo.*

volumus, veruntamen cum magno liberoque animo esse pronuntiata. Ut non viderit, Romanos imperatores, eosque optimos, nec P. Scipione, nec M. Catone, neque vero P. Aemilio exceptis, fuisse crudeles, dum in devicta gente, urbes, armis abjectis, in deditionem receptas, agrumque non vi neque minis, sed voluntate incolarum Romanum factum, exercitui per aliquot dies diripienda dederint. *) Ut non viderit, Romanam civitatem in optimos nobilissimosque cives, sæpe non minus ingratam crudelemque se manifestasse, quam ab ejusdem populi scriptoribus humanissimis, Athenienses fuisse accusantur. **)

Neque vero civem prorsus exuere poterat, dum ad fidem historicam alicui facto confirmandam, sufficere putet, ut Augustus, at qui arbiter in rebus criticis iisque obscurissimis! se quid vidisse contendat. ***) Ut dandum aliquid antiquitati Romanæ, quo augustior videatur, ut magnitudini ejus & sanctitati ea tribuenda putet, quæ minoribus civitatibus non immerito denegentur. ****) Si ab hoc humano, modico partium civilium studio discesseris, cui tamen ipsi majus & acrius veritatis studium imperitabat, fatendum omnino est, Livium ubivis, etiam in rebus, quæ Romanis non gloriæ verterentur, *voluisse vere scribere.* Cujus assertionis si præter ea argumenta, quæ alibi, & supra commemorata sunt, alia desideres, & prisci temporis descriptio, & florentium rerum Romanarum narratio, in quavis pagina, æquo lectori talia suggerent. †)

Neque

---

*) Ut recentissimum exemplum, quum alia celebratiora sint, referam l. 44. c. 45. P. Aemilius *equitibus* (qui nihil in pugna contra Perseum perpetraverant) *prædam circumjecti agri, dum ne amplius duabus noctibus a castris abessent*, concessisse. cf. de sensu auctoris l. 32. c. 27. l. 45. c. 32. c. 34.

**) e g. *de carcere* L. Scipioni *inter fures & latrones* destinato, *ut in robore & tenebris exspiret, deinde nudus projiciatur.* l. 38. c. 59. cf. l. 45. c. 38.

***) l. 4. c. 20.

****) l. 1. præfat. *Datur hæc venia antiqnitati — tam & hoc gentes humanæ patiantnr æquo animo, quam imperium patiuntnr.* En conclusionem non ex fide historica, verum ex partium Romanarum studio, sensu & voto!

†) l. 1. præfat. l. 1. c. 16. de Romulo discerpto a Patribus l. 3. c. 5. *difficile ad fidem* l. 23. c. 16. *Vix equidem ausim.* — —

Neque vero nescivit, quæ ad crisin historicam recte requirerentur. *In rebus tam antiquis*, ut aliquid *tamen constituas*, *quæ similia veri sunt*, *pro veris accipiantur.* *) In dubiis, & circa quæ auctores extrema quæque sequuntur: *si aliquibus assentiri necesse est*; *media simillima veris sunt.* **) *Ubi in diversum auctores trahunt*, modo *plures*, *modo propiores ætate memoriæ rerum sequaris.* ***) Neque hæc præcepta critica magis descripsit, quam in opere suo adhibuit. Quod, ut aliquot exemplis exstantioribus, hic adstructum dem, en testium explorationem & dijudicationem, etiamsi auctores ante se omnes consentientes vidisset, circa Cor. Cossi spolia opima! ****) Vim præterea verborum priscorum, eorumque interpretationem, per viros consultissimos intelligentesque datam, in argumentum rei priscæ advocavit: †) ex situ regionum, ex statu, quo tum, quum res ageretur, & loca & gentes conspicerentur, eque vestigiis inde remanentibus accurate perpensis, doctior ipse nonnunquam testibus antiquioribus factus, certiorem fecit lectorem. ††) Ratione habita rerum & personarum antiquarum, uti auctorem, quippe prudentem & rerum humanarum gnarum, ubivis scripsisse ex tota narratione constat, sic data opera id nonnunquam, adductis omnibus rationibus cumque lectore communicatis, fecisse ex pluribus locis conspicuum est. †††)

Sic considerando res externas, ponderando argumenta, dijudicando testimonia, perpendendo animum & fidem cujusque ante se auctoris, comparando inter se varia narrationum, reliqua vestigiorum, conservata & tradita famæ constantis, eo perspicaciæ pervenit, ut *sensum veri* sibi ipsi tribuere, idque tandem tuto sequi posset, quo, posthabitis auctoritatibus, animus factus & exercitatus ad recipiendam veritatis lucem, duceret. Sic sæpe

 con-

*) l. 5. c. 21.
**) l. 26. c. 49.
***) l. 25. c. 11.
****) l. 4. c. 20.
†) l. 3. c. 55.
††) l. 21. c. 38. l. 26. c. 11.
†††) l. 2. c. 18. l. 5. c. 33. l. 11. c. 29.

confeſſus eſt, ſe *adductum*, ſenſu quippe quodam interno, cujus rationem ſentire, minus vero reddere poſſet, *credere;* *) *animum inclinare*, ut ex pluribus hoc potiſſimum ſequatur; **) eſſe quæ *animum inclinent*, ut *credat* ipſe; ***) aperte tandem hoc uno certo internoque veri ſenſu ductus, auctores, quos non ubivis leves habet, relinquit, &, ne refutatis quidem, longe alia refert. ****)

Sic adeo in rebus, *haudquaquam relatu ſcriptoribus facilibus*, modo ſe ſibi *credere*, innuit; †) modo ſibi non magis *licere* decedere a vulgo dictis, quam *libere*: ††) Seſe etiamſi aliqua ad rem pertinentia *acceperit*, etiamſi alia non *tradantur*, tamen *conjicere;* †††) idque a ſe, contra *omnium prope annales*, contra *Cœlium*, obſtinate ſuam expoſitionem defendentem, contra *titulos imaginum*, quippe *a* poſteris *auctos*, factum fateri ſuſtinet. ††††)

Tam certa ſui, & ſecura mente apparuit Livius, ut, quamquam nulla, quo minus ad verum perveniretur, impedimenta illum fallerent, tamen exercitatas omni explorationis, percontationis & ſcrutinii genere, ſperaret, ſe opus perfecturum, quod non ut Xenophontis Cyropædia exemplar conſtituendi regni, coaptandæque ſimul hiſtoriæ eſſet, verum imaginem certis lineamentis, nativoque colore conſpicuam, naſcentis, florentis, & decreſcentis ſenſim rei publicæ oculis æqualium & poſterorum offerret.

*) l. 2. c. 18.
**) l. 1. c. 24.
***) l. 29. c. 29. c. 33.
****) l. 28. c. 46.
†) l. 1. c. 60.
††) l. 4. c. 29.
†††) l. 3. c. 70.
††††) l. 22. c. 31. 32.

Errata.

p. 8. lin. 1. lege 585.
p. 8. notæ primæ adde numeros l. 45. c. 40. c 43.
p. 12. lin. 12. pro & ne ſemel quidem, legas: *Et ſemel tantum* l. 45. c. 25.
& ibid. l. 14. pro unquam, legas: *usquam alias.*
p. 15. l. 7. pro pertinentes: legas: pertinentibus.
p. 15. l. 7. poſt vocem *magiſtratus* lege *vel ad urbem* & in nota ad hæc verba adde numerum l. 45. c. 44.